

NOBILISSIMIS ET AMPLISSLIMIS  
DD. CONSVLIBVS  
CÆTERISQUE  
ANTVERP. REIP. SENATORIBVS.

VM neque ex GALENI, Medicorum à primo primi, decretis, nec à IOANNIS MESVÆ Canonibus temerè recedere Medico licitum esse non putaueritis, Viri Nobilissimi & Amplissimi , de salute publicè tuenda solliciti CONSULES atque SENATORES ; hinc factum ut eorum Icones Laminæ nostræ præliminari præfigeremus. COLLEGIVM enim MEDICVM, in hac Vrbe Vestris Auspicijs illustriùs instauratum , maximè ab Auctore hoc vtroque omnia hausit , longa praxi probatissima, quorum cognitione & scientiam, Mundo coæquam, Deus Opt. Max. indidit Adamo , atque Natura, veluti per manus vbertim in nos transstulit. Vos autem benignæ Naturæ Instrumenta, imò Divinitatis Organa , hæc nobis & in promptu jam esse , & in propatulo poni voluistis , vt eis securius vterentur Cives Vestri , vel ad suam conser-

uan-

EPISTOLA

uandam dum adest, vel recuperandam sive corroborandam, quando collabitur, Valerudinem, quæ maximus est thesaurus, omnes auri acervos superans: pauperes enim suasunt salute divites, verum divites suo sunt morborum languore miseri. Itaque Vestro salubri Decreto COLLEGIUM illud MEDICUM tanta sagacitate obtemperavit, ut optima quæque in hoc Opus contulerit, ex innumeris ferè cibariorum, segetium, herbarum, frugum, leguminum, fementorum, aromatum, medicamentorumque generibus discretis superfluis, eo ordine, industriâ judicio, omnium addito pretio, ut non modo PHARMACIAM, sed MARE Pharmacorum, seu totius Artis Appollineæ PROMVM CONDVM indigitare hunc librum iure merito poteritis, & Orbis venerari velut OCEANVM Antidotariorum selectiorum, non sophisticatorum, nec adulteratorum, nec reieclitorum, nec nimis peregrinorum, antiquatiorum incognitorum, nec Pigmentariorum ( si non infaustis saepe pixidibus suffocatorum ) in angulis forte cuiusdam Officinæ aromatariæ ( vnde periculi plurimum ) velut in lacuna diu submersorum. Id operis denique, quod Nobiliss. & Ampliss. DD. VV. dedico, cuius utilitas in sero etiam Nepotes redundabit, meis typis, expensis pro-

## DEDICATORIA.

proprijs, non paucis sanè laboribus excudere lu-  
bens sum aggressus; cùm præsertim publico bono  
iußeritis lucem videat ad iugulandum imperitum.  
absurdum, ineptum, anile, circulatorium, & heu!  
insanabile multorum medicandi cacoëthem, qui  
non communem salutem, sed suæ negotiationis  
compendia vicatim quærentes, obtrudunt populis  
non nisi pretiosa prodesse, & Medicis sequentibus  
rectam, probatam, tritamque medendi viam, de-  
trahunt & impropertant, usque adeo conuitijs eos  
onerantes, ut tamquam publicos homicidas super-  
bè condemnent & expellant. Verum nec ullus eo-  
rum cgeat Medico qui sibi sic sani sunt, suaque ni-  
mia quanta credulitate ducti aures faciliores præ-  
beant eiusmodi farinæ Circumforaneis, dummodo  
singulos, quas singulas suas Artes profitentur, exer-  
cere pacificè sinant, & Conciyibus nostris sanio-  
rem mentem in Corpore sano vigere non inuidis  
oculis patientur. At at, fortè Paternam Vestram in-  
nos solertia cauillabuntur? Impudentiam pro-  
pulsabit CHRISTVS, salus nostra, qui MEDICVM se  
dicere & exhibere non est dedignatus, & quem  
vnusquisque nostrum salutariter verbis DAVIDIS  
acclamat: *Sana me Domine, quoniam infirmus sum.* Hic  
vnus & solus est, qui languores nostros tulit, infir-  
mita.

A E P I S T O L A.

mitatesque nostras portauit, & qui Nobiliss. &  
Ampliss. DD. VV. ut enixè rogamus, ipseque po-  
tis est, per multa redeuntium annorum renouan-  
da curricula, reipublicæ nostræ sospites seruabit.  
E Musæo nostro 7. Kal. Ianuarij 1660.

Nobiliss. & Ampliss. DD. VV.

Humillimus seruus & cliens

GEORGIVS WILLESENS,

Typographus.

